Sententia feratur de Hesiodeae, qualis ab antiquis censebatur, poesis natura et origine.

Pars generalis.

DE UNIVERSAE POESIS HESIODEAE NATURA ET ORIGINE.

§. 1.

Ostenditur, quo vinculo carmina Hesiodo adscripta conexa sint.

Hesiodi nomine magna carminum copia antiquitus circumferebatur, e quibus nostris temporibus tria exstant: Ἔργα καὶ Ἡμέραι, Θεογονία, Ἀσπὶς Ἡρακλέους.

Quae si paulo accuratius per tractaverimus et reliquias carminum perditorum, quantum fieri potest, composuerimus, examinatis judiciis veterum scriptorum, intelligemus, illa carmina, quae vulgo Hesiodi dicuntur, communi quodam vinculo inter se conexa et conjuncta esse; quare universae Hesiodo adscripta sunt. Hesiodea enim ea carmina appellata sunt, in quibus ad instituendos hominum animos sive praecepta vitae tradebantur, sive res gestae, quae minus notae erant, certo ordine proferebantur. Quod quidem solum Operibus et Diebus poetam sibi proposuisse satis constat. Eodem fere spectare Χείρωνος ὑποθήκας, Ἐπιμαντικά, Ἀστρονομίαν, inscriptione ipsa docemur. Theogonia autem homines de principiis rerum et orgine stirpeque deorum, Catologo mulierum et Eoeis de origine heroum eorumque rebus gestis instituebantur. Carmina quoque illa, quibus res quaedam ex historia deorum depromptae accuratius illustrabantur, Melampodiam, Aegimium ab hoc proposito aliena non fuisse videntur. Neque aliter censebant Boeoti, qui Heriodo solum carmen Opera et Dies inscriptum adjudicabant, quippe quo carmine imprimis praecepta vitae morumque tradita sint.

Ad cognoscendam autem naturam et indolem poesis Hesiodeae plurimum valet illud Max. Tyrii, quod legimus in disfert. XXXI. 4., quo scriptor non solum rationem, qua poeta rem instituit, ostendit, sed etiam singulas partes poeseos indicat. Totum onim carminum Hesiodeorum orbem dividit in tres partes, quarum prima versatur in hercogonia, altera in theogonia, tertia in praeceptis philosophiae, quibus hominum vita regatur atque instituatur. Atque quum duobus prioribus partibus res mythologicae comprehendantur, tertia ad opus didacticum spectet, duplicis argumenti, mythologici et didactici opera distinguere licet. Inter hujus autem generis opera primum obtinet locum carmen illud tritissimum, quod inscriptum est Ἔ. κ. Ἡ. Reliqua vero didactici generis carmina, quorum nullum quidem exstat, praecepta ac consilia, res ad artem vaticinandi spectantes aliaque ejusmodi exhibuerunt.

Generis autem mythologici carmen gravissimum est Θεογονία, cujus argumentum versatur in explicandis deorum originibus aliisque rebus, quae ad deos pertinent. Tum heroogonia quae altera pars est mythologiae illustratur Catalogo, Eoeis reliquisque operibus mythologicis, quibus uberrima

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fabularum copia et de conjugiis, quae dii cum mulieribus mortalibus habuerunt et de heroibus ex iis procreatis comprehendebatur.

§. 2.

De carminum materie, compositione, dictione.

Sed si quis de aliquo poesis genere judicium facere velit, praeter argumentum carminis in eo maxime versari necesse est, quid auctor de mundo universo, de natura rerum, de diis atque hominibus senserit atque expresserit. In tota vero Hesidea poesi tristitia quaedam animi cognoscitur, simulque uberrima rerum hominumque scientia. Nam et opinionibus, quas de rerum principiis deorumque imperiis profert vates, atque genealogiis, quibus immensam deorum copiam enumerat, admirabile mentis acumen et disciplina arguitur, ea vero, quae de mala hominum conditione, de corruptis aequalium moribus proferuntur, animum poetae afflictum fuisse probant. Accuratori de rebus, quae ad deos atque hominum vitam pertinent, cogitationi et notitiae terrarum nationumque magnopere auctae sociam se adjunxit jejunitas quaedam animi scriptori magis quam poetae apta.

De ratione, qua opera Hesiodea composita sint, verissime Ulricius sentire nobis videtur, qui separationem, ut ita dicam, tamquam legem hujus poeseos esse judicat. Namque singulae partes, sine vinculo artiore se excipiunt. Illustre hujus poesis generis exemplum est carmen illud, quod ex eo, quod variae fabulae vocabulis ἢ οἵη incipientes deinceps narrantur, nomen duxit. Neque acerrimae operae atque industriae virorum doctissimorum Klausenii, Vollbehrii aliorumque contigit, ut in Theogonia et Operibus et Diebus semper rerum ipsarum conexum exquirerent. Quorum virorum studio mihi non probantur, quippe quum carmina ad delectandos hominum animos, non ad anxie scrutantium judicum ingenia exercenda componantur.

Verum longe aliter judicandum est de ingenio poetae atque quomodo in singulis rebus describendis versatus est, de ratione dicendi aliisque rebus, quae ad externum carminum habitum pertinent. Neque enim paucae partes nobis accurrunt, in quibus ubertatem jucundam, perspicuitatem orationis, ardorem animi elatiorem, colorem poeta dignum admiremur. Oratio dulcedine et venustate excellit jucundissima, quo animus admodum delectetur. Quod veteres quum sensu pulchri venustique egregio praediti essent, jure summis laudibus efferunt. Denique accumulatus nominum mythologicorum numerus, id quod proprium est, orationis Hesiodeae atque ab antiquitatis judicibus χαρακτὴρ Ἡσιόδειος dicitur, nescio an poetae crimini dandus sit; certe Bernhardyi verbis, quibus haec nomina inanima vocet, me assentiri non posse profiteor. Pleraque enim vivam de daemonibus, qui hominum vitam regunt, cogitationem, animi agilitatem facultatemque exprimendi ea, quae cogitavit, produnt. Neque tam meditationi debentur, quam amplificato orbi fabularum, quae ex diversis Graeciae partibus secundum terrae propulique propriam naturnm mutatae varieque exornatae confluebant.

§. 3

De origine carminum.

Quum constet, imprimis tres res ad poesim aliquam conformandam multum valere, statum ac conditionem rei publicae atque gentis, in qua poesis nova nascitur, naturam et genus carminum, quae antea illis locis florebant, vitam et conditionem poetae, haec deinceps examinabimus.

Aetas heroum, qui per duo vel tria saecula in Graecia exstiterunt, atque belli Troici temporibus summopere floruerunt, jam elapsa erat. Ut summum rerum fastigium simul initium exitii est, sic in illustrissimo illo bello apparebat, aetatem heroum jam ad interitum delabi. Nam major pars regum ante Ilii portas occisi aut redeuntes calamitatibus oppressi sunt. In quorum locum aut affines successerunt et potestate minores et virtute inferiores aut nobiles rerum potiti sunt, qui quum cupidi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tate summae potestatis ducti multa facinora committerent, in summum civium odium veniebant. Paulo post migrationes illae gentium e regionibus Graeciae ad septentrionem versus, fiebant, quibus omnium rerum summae commutationes factae sunt. Ultima autem heroum stirps oppressa est atque quum quo minus se subjiceret recusaret, novas sedes in Asiae littore petivit. Gravissima harum migrationum erat Doriensium, qua splendida illo regna Achaiorum, quae in Pelloponnesi urbibus Argis, Sparta, Mycenis adhuc erant, deleta atque eorum loco res publicae ab illis plane diversae conditae sunt. In Boeotiae vero oppidis permultis pristini regni species quaedam remanebat propterea quod gentes illae, quae e Thessalia in eum invadebant, non eodem modo versatae sunt. Principes enim pristinam dignitatem nomine quidem retinebant, re vera populus ipse leges et instituta rei publicae dedit. Cives ipsi oppidorum soli fertilitate et majore, quam in agris colendis collocabant, opera divitiores facti, jam cum principibus atque nobilibus de rebus publicis certare eademque cum illis jura appetere coeperunt. Porro dii alio modo coli coepti sunt. Antiquitus quum tota Graecia tum in Boeociae pagis duo deorum genera colebantur, quorum alterum erant vires ingentes, quibus variae rerum mutationes factae, montes suggesti, saxa fissa erant, alterum vires benignae, quae agricolarum operibus fructum dabant, gregibusque prospiciebant. Quorum deorum veneratio aut deleta aut coercita est heroum aetate, atque in eorum locum succedebant dii Olympici, qui civitatum, quomodo heroum aetate florebant, imaginem quandam referebant. Tum quo latius potentia Doriensium progrediebatur, eo magis cultus Apollinis, ultoris et custodis justitiae, per totam Graeciam pervulgatus est. In Boeotia vero, quae terra sedes erat veteris vatum cultus atque poesis, cogitationes de naturae viribus a cultu deorum Olympicorum non adeo oppressae sunt, quam in civitatibus a Doriensibus conditis, atque plurimae veteres de diis opiniones cum iis, quae postea natae erant, miscebantur. Quo circa suo jure O. Muellerus Boeotiam dicit *πολυφώνην* terram oraculorum antiquissimam artis manticae sedem, confluentia diversorum deorum cultus patriam theogoniae Hellenicae.

Jam transeundum est ad examinandam alteram earum rerum, a quibus mutatum hoc carminum genus pendere videtur, scilicet poesim, quae antea in his terris culta est. Constat autem inter viros doctissimos ante Hesiodum poetas fuisse, qui carmina Hesiodeis simillima condiderunt. Autodidachmus enim veterum poetarum, ut dicitur, a multis nobiscum aequalibus valde dilectus nobis quidem coercendus esse videtur. Plerisque, ne dicam omnibus poetis, qui auctores novi poesis generis fuerunt, antecesserunt quidam, quibus initia hujus artis debentur. Atque ut sponte apparet, poesim Homericam non subito tam perfectam esse ortam, ut ita in lucem prodierit, ut Minerva armata e Jovis capite, sed ab aliis vatibus per aliquod tempus praeparatam esse, sic nemini de hac re paulo diligentius cogitanti naturamque Hesiodi carminum consideranti dubium erit, quin non omnia de suo sumpserit. Nominibus enim vatum antiquissimorum carminibusque, quae iis tribuuntur, cogimur, ut temporibus fabulosis in ipsa Graecia poesim fuisse pro certo habeamus, quae e religione deorum originem duxerit atque cum ea arcte conjuncta fuerit. Praeclarissimi horum vatum sunt Linus, Orpheus, Musaeus, quibus hymni in honorem deorum, cantus lugubres, qualis erat Linos, qui dicitur, oracula, carmina lustralia adscripta sunt. In his cantibus verissime sentit Ulricius latuisse initia duorum carminis generum, quorum alterum lyricum tribus saeculis post excoleretur, alterum epicum a poetis, qui aetate illis essent proximi tractaretur. Atque hoc modo carmina epica orta sunt, quibus primum origines rerum, tum deorum heroumque facta celebrata sunt. Copia enim rerum mythologicarum, quae in Homeri carminibus jam arte quadam compositae et formatae sunt, carmina argumenti mythologici ei ante oculos fuisse docet. Quae opinio magis etiam nobis probata erit, si carmina vatibus illis antiquis tributa consideraverimus. Atque Lino, vatum veterrimo carmen cosmogonicum adsignatur, quibus principia rerum illustrabantur. Similis argumenti carmen praeter Theologiam et Titanomachiam composuisse dicebatur Thamyris. Tum saepius mentio fit Theogoniae Musaei. Praecla-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rissima autem est fama Orphei, cujus etiam tres Theogoniae memorantur, in quibus fabulas de origine mundi et deorum poetam exhibuisse, multi loci satis demonstrant. In illis permultae narrationes et fabulae Hesiodeis simillimae legebantur.

Atque alterum poesis Hesiodeae genus antiquissimis temporibus non omnino neglectum esse, non desunt testimonia. Huc versus ille notissimus Opp. 379 pertinet, qui ab Aristotele Pitheo, Persei patri tribuitur. Tum per multa proverbia sententiaeque, quae apud Hesiodum leguntur, summae antiquitatis manifestissima vestigia ostendunt. Dein Lino a compluribus scriptoribus carmen quoddam tributum est, quo hominibus pietas et probitas commendabatur eorumque officia recensebantur. Porro carmina, quibus oracula tradebantur, remedia continebantur, argumenti didactici fuisse apparet. Denique haec sententia fabulis quibusdam probatur, quae a posteriorum temporum scriptoribus excogitatae et inventae esse videntur. Quibus fabulis Orpheum homines a feris barbarisque moribus ad mitiores humanioresque duxisse multarumque rerum utilium scientiam docuisse simulque de agris colendis atque de viribus naturae praecipisse uberius illustratur. Hanc vero poesim praecipue iis locis, quibus vates Ascraeus vitam degisse perhibetur, excultam fuisse, compluribus vestigiis docemur. Nam Thraces, cujus vates illi antiquissimi erant, praeter Pieriam imprimis loca, quae inter Heliconem et Parnassum sunt, tenuerunt. Atque conexus et similitudo, quae inter poesim illorum vatum et Hesiodi cognoscitur, genealogia confirmatur, qua noster cum illustrissimis illis Graeciae vatibus, Lino, Piero, Orpheo aliisque conjungitur.

Jam vita et condicio poetae examinanda est. Ad ea autem respicientes, quae in carminibus Hesiodeis et alibi nobis tradita sunt, talem fuisse Hesiodi vitam profitemur, qualis maxime ad poesim didacticam adducere debeat. Meditatio enim atque tristitia animi non est hominis felicis, omnibus rebus, quae ad vitam bene degendam pertinent, praediti, sed infortunati, miseriis calamitatibusque oppressi. Sed poeta non solum puer tristem atque adversam sortem nactus est, sed etiam adolescens et vir non secundioribus rebus usus est. Pater enim propter egestatem ab Ascraeis civitate non donabatur, sed ἀτίμητος μετανάστης erat. In qua humanitate filium mansisse atque ex agricultura et re pecuaria victum gravi labore sibi parasse verisimilie est. Sed gravissime tulit, quod frater eum de patrimonio fraudabatur, judicibus auro corruptis.

Causas, quibus poesis Hesiodea orta sit, satis illustrasse mihi videor. Atque id quod semper ab omnibus poesi Graecia tributum est, eam naturae convenienter esse excultam, hoc carminis genere splendidissime confirmari in confesso est.

Pars prior specialis.

DE OPERIBUS ET DIEBUS.

§. 4.

Virorum doctissimorum de carmine sententiae recensentur.

In examinandis carminibus initium capimus ab Operibus et Diebus, quod carmen hujus generis poeseos primum atque maxime proprium videtur. Magna autem fuit et est inter viros doctissimos controversia et contentia, eandem, qua hodie legamus formam a prima origine tulerit, an variis interpolationibus corruptum sit. In numero eorum, qui carmen majoribus additamentis male vitiatum esse, contenderunt, sunt Twestenius, Thierschius, Lehrsius, contrarium contendunt Klausenius, Rankius, Vollbehrius aliique. Illi secando et urendo rem eo perduxerunt, ut pristinam formam plane deleverint atque foedam farraginem reliquerint, hi acerrimo cum studio atque sagacitate carmen esse unum et continuum ostendere conati sunt paucisque locis interpolationem admiserunt. Mediam quasi viam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

parvus interpretum numerus ingressus est; inter quos Bernhardyus. Sed his viris assentiendum esse mihi videor. Neque cuiquam enim sine ulla opinione prae judicata carmen legenti compluribus locis versus non occurrunt, qui conexum sententiarum male offendant atque jam primo aspectu parum apte inserti esse videantur. Sed quum id carmen quod ex antiquo et genuino trajectis huc et illuc versibus Twestenii atque magis etiam Lehrsii ingenio ac opera quasi denuo compositum examinaverimus, nos profiteri necesse est, multas partes in dubium vocatas esse, quae attentum etiam lectorem omnino non offendant et furore quodam delendi sublatae sint. Quae nostra sententia defenditur et judicio interpretum Alexandrinorum, qui aliquot versus obelo notaverunt, atque quod nullum carmen aptius esse videtur ad versus quosdam addendos, quam hoc, cujus partes male conjunctae ad interpolandum quasi invitant.

§. 5.

Quo poeta carmen spectare voluerit.

Imprimis vero in hoc opere judicando respiciendum est ad consilium poetae, a quo, unde materies petatur et quomodo ea tractetur, pendet et proprio colore afficitur. Quem vero effugiat, Hesiodum hoc opus composuisse, ut Persen fratrem hominesque, qui ejus similes essent, admoneret atque totum genus humanum edoceret. Homines enim, quorum mores in dies magis depravantur, a sceleribus revocandi atque honestiori vitae adducendi sunt. Cui sonsilio universa rerum tractatio et carminis dispositio convenit. Carmen enim in duas partes divisum est, quarum prior praecepta de vita honeste beneque degenda complectitur, altera vero his caret atque opera enumerat, in quibus homines laborem et industriam collocare debent, qua ex re carmen nomen duxit. Additur postremo calendarium sive institutio de diebus, qui negotiis fausti vel infausti sunt, ad quod spectat altera inscriptionis pars.

§. 6.

Quibus e fontibus poeta hauserit.

Sequitur, ut de carminis auctore dicamus. Quae res breviter absolvi potest, quum hujus operis genuitatem et Boeotorum Heliconi accolarum judicium, teste Pausania totiusque antiquitatis fides demonstrant. De fontibus autem, e quibus poeta hauserit et poematis, quae imitatus sit, tantummodo suspicari possumus. Atque non omnia ex ipsius poetae ingenio profecta esse et per se patet et carminis natura probatur. Itaque major virorum doctissimorum pars verissime contendit, versus quosdam poetam ante oculos habuisse, qui in ore hominum illorum temporum erant. Dolendum est, quod unus Tzetzes, homo vanus atque ob eam causam non in omnibus, quas affert rebus, fide dignus de poetis tradit, quos Hesiodus secutus est. Memorat autem, Hesiodum imitatum esse Orphei *Ἔργα καὶ Ἡμέρας* et quaedam hausisse e Melampode. Quamquam opera, quae nomine horum vatum circumferuntur, spuria sunt, tamen negari nequit, eos opera poetica composuisse atque nostrum eorum sententiis atque fabulis usum esse. Atque Tzetzae opinio et carminis natura et aliis quibusdam vestigiis indiciisque comprobatur. Fabulam enim accipitris et lusciniae atque sententiarum praeceptorumque magna pars tam proprium colorem tantamque simplicitatem prae se ferunt, orationis, ut remotissimae antiquitatis esse et a poeta forma non adeo mutata recepta esse videantur. Etenim praecepta prudentia paucis aptisque verbis induere populi proprium est, non vatis docti. Denique non desunt antiquitatis testimonia, quibus nostra illa sententia defendatur. Quorum clarissimum est Plutarchi, quo Opp. versum 370: „*Μισθὸς ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρχιος ἔστω*“ ab Aristotele Pithoo, antiquissimo Troezenorum regi attributum essa dicit. Huc spectare narratio quoque mihi videtur a Pausania

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in medium prolata, qua Hesiodus artem vaticinandi apud Ascraeos doctus esse traditur. Denique in vulgus nota est illa sententia: „αἰδὼς ἥτ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησιν."

§. 7.

Examinatur, quibus ex partibus carmen compositum sit et quae spuriae esse videantur.

Carminis summam, viri docti ponunt, aptam ac facilem singularum partium conexum desiderari. Summa enim sententia sive quod argumentum carminis nominari solet, quale sit, vix intelligi potest. Immo vero unum earum, de quibus diximus partium, vinculum sola ratione didactica contineri videtur. Verum dubitari potest, sentiendum sit cum Ulricio suspicanti proprietatem fuisse hujus generis poeseos res quaslibet inter se consuere, id quod Rankius quoque voluisse videtur, ubi dicit de arte Boeotorum non satis nota, comprobandane sint studia virorum doctissimorum, quorum dux est Lehrsius, quibus carmen concinnius et aptius restituatur, partim ejiciendis compluribus versibus, partim immutando versuum partiumque breviorum ordine. Sed si consideramus, jam ab antiquis prooemium compluresque versus spurios esse habitos atque salebras orationis, diversissimumque singularum partium colorem cognoscimus, addita narratione, opera Hesiodea a Rapsodis decantata atque Pisistrati temporibus in scholis adhibita esse, id verissime statui posse nobis videtur, carmini initio formam longe alienam ac nos legamus, fuisse.

Neque desunt res, e quibus sine dubio recte conjicere potes, illud carmen jam paulo postquam conditum esset, in ora usumque popularium venisse atque quum literarum usus Graecis innotuisset, scriptum in omnium manibus fuisse. In scholis Atticis primum inter poetas didacticos locum obtinuisse cum Theognide et Phocylide satis compertum habemus. Quam longe pervulgata fuerint Opera, uberrima locorum laudatorum copia, quae exstat in scriptis veterum, optime cernitur. Versus enim, quibus sententiae, proverbia, praecepta continentur, apud multos poetas scriptoresque leguntur. Cuine in mentem venit illud Xenophontis mem. Socr. I, quo testatur, Socratem versum Opp. 336 saepius in ore habuisse. Huc spectat quoque illud Columellae: „Οὐδ' ἂν βοῖς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη." Quod quoque cognoscitur, crèberrima aliorum poetarum imitatione, cujus clarum testimonium est Clem. Alex. strom. VI, Simonidem illum de mulieribus locum, qui legitur 702 sic imitatum fuisse:

Γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ λήξεται,
ἐσθῆς ἄμεινον οὐδὲ ῥίγιον κακῆς,

atque Diogenes Laert. VIII. 1. 27. ubi Pythagoram affirmat, Hesiodi versum 708 in hunc modum expressisse: μὴ ῥαδίως δεξιὰν ἐμβάλλειν, cui loco addendum est, quod est apud eundem: φίλους μὴ τάχα κτῶ, οὓς δ'ἂν κτήσῃ μὴ ἀποδοκίμαζε. Permulta demum facillimum est afferre testimonia, quibus intelligi potest, Hesiodi Opera et Dies toti fere Graeciae jam antiquiore aetate commune fuisse. Quo factum est, ut carmen eandem fere sortem expertum sit, quod ceteri libri in scholis adhibiti. Locis enim aptis sive versus ex aliis poetis, qui similes res sibi tractandis sumpserunt, sive sententiae, quae in ore populi erant, inserti sunt, versibus minus aptis vel deletis vel transjectis. Omnes ac singulos versus recensere, qui spurii habiti sunt, nostrum non est, sed de partibus quibusdam majoribus in suspicionem vocatis pauca afferre necesse est. Dico enim duo carmina illa epica de Pandora et de aetatibus atque descriptionem hiemis carmini georgico insertam. Clausenius in Mus. Rhen. a Welk. ed. 1835 et Vollbehrius in proleg. ed. s. et Rankius in comm. conexum fabularum Pandorae et aetatum cum toto opere mira quadam diligentia et ingenio demonstrare conati sunt. Quod quidem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

admodum difficile non est, quum altero historiam quasi generis humani, crescentem hominum depravationem atque calamitatem illustrari eluccat, ad quam rem poeta, memorata dura hominum sorte ac vita, ultro adducitur. Lehrsius contra mythos aliunde allatos esse et illum quidem ex duabus, hunc ex tot recensionibus, quot aetates describantur, ortum esse contendit, cui sententia universae Hermannus vir singularis doctrinae in recensione illarum quaestionum, quae exstat in Jahnii annal. 1837 vol. 21. p. 129. 599. assentitur. Schoemannus vero in praestantissima illa de aetatibus dissertatione p. 12 dicit, apparere, attento lectori, non ab uno unius operis auctore utramque fabulam et eam de quinque vel sex aetatibus et illam, quae paulo post narratur de Pandora compositam esse. Pugnare enim eas inter se et plane diversa ratione tractari. Atque illud manifectum esse putat, hanc de aetatibus fabulae formam non esse aetatis Hesiodeae, Homerica haud multo recentiori. Quod demonstrari et aliis rebus et nova illa de daemonibus doctrina, quam antiquiores Graeci ignorassent. Atque vir ille doctissimus contra Voelkerum qui suspicatur, praeter illos quatuor versus, quibus daemones memorantur, omnia esse vetustiora, contendit, se nullum in his majoris antiquitatis testimonium cognoscere. De Pandorae vero mytho in dissertatione, quam de hac re composuit, p. 21 admonet; „quum et in Operibus et Diebus et in Theogonia eandem fabulam legamus, utriusque natura diligentissime examinata theogonicam fabulam antiquiorem esse judicandam etc." Quo judicio tacite confiteri videtur, fabulam, quam in Op. et D. inveniamus, aliquantum mutatam huic carmini insertam esse. Tum de fabula, quae in Theogonia legitur, sentit, veram veteris fabulae sententiam a poeta, qui Theogoniam composuerit, aut non bene perceptam aut non plane expositam esse. Causis, quas viri doctissimi in medium proferunt, accurate perpensis, non tanta eas esse gravitate profitemur, ut fabulas plane Hesiodo ab judicandas esse putemus. Origo enim malorum, quae in Pandorae fabula narratur, diversa quidem est ab ea quae in aetatibus illustratur, sed differentiae non tantae sunt, ut conexus omnino desit. De hiemis vero descriptione, quae illo loco minime quidem necessaria, sed aptissima est, ita nobis videtur statuendum esse, primas lineas sive fundamentum ab Hesiodo profectum esse, sed varie commutatum et amplificatum esse ab recentioris aetatis scriptoribus. Tum illud quidem concedendum est, in narrationibus illis conspici Homericum quendam orationis colorem, ardorem, flumen, sed hoc facile ex eo intelligitur, quod poeta non praecipit, sed narrat et describit. Atque fatemur ab aliis sive, Rapsodis sive diasceuastis ornatum quendam additum esse. Reliquum carmen quum ab omnibus fere Hesiodo tributum sit, non est, cur negamus, ejusdem poetae esse. Atque quod fuerunt, qui nonnullas earum sententiarum, quae ad pietatem et pudorem spectent, exturbarint, hanc ipsam carminis partem summae vetustatis vestigium prae se ferre, fatemur.

§. 8.

De dictione, qua poeta usus est. Praemittuntur, quae de rebus divinis et humanis poeta senserit.

Sententiae et opiniones, quibus poetam imbutum fuisse apparet, jam supra, ubi de universa poesis Hesiodeae natura disputavimus, in medium allatae sunt. Quare pauca tantum addenda esse videntur. Quum senex Ascraeus hominum mores emendare studeat, atque acriter virtutem commendet, mirum non est, deorum mores ac dignitatem ethicam in clarissima luce collocari. Ubique admirabili quadam et religione cristiana digna reverentia de Jove ceterisque immortalibus sentit, quorum summam dignitatem, acerrimum justitiae virtutisque amorem, gravissimum omnis pravitatis odium cum laude praedicat. Homines virtute praeditos praemio affici, quum sorte aureae heroumque aetatis hominum, qui summa fruuntur beatitudine, tum descriptione bonorum, quibus justi homines donantur, ostendit. Atque dii ipsi postulant, ut sacris, piis caeremoniis colantur, ut dies, quos negotiis constituerint, observentur. Contra gravissime Jupiter hominum nequitatem ulciscitur, Prometheum totumque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

genus humanum, Pandora cum dolio fatali adducta, puniens atque aetatem argenteam et aeneam summa afficiens supplicio. Pulcherrimum vero amoris, quo dii virtutem amplectuntur, est testimonium quod Daemones a diis justitiae custodes inter homines constituti sunt atque Justitia carissima Jovis filia fingitur, quae cum Pudore, veste alba induta vicos hominum pererrat et ab iis neglecta et violata ad patrem in Olympum revertitur. Tum condicio hominum ut durissima, quae labore solum leniri potest describitur. Post tempora enim beatissima deus generi humano laborem injunxit, atque sudorem ante virtutem posuit. Qua efficitur acerba illa animi durities et tristitia, quae longe amota est a dulci illa suavitate, quae quum ad orationem solam spectet, a nonnullis scriptoribus ad res quoque refertur. Haec durities praecipue cognoscitur ac sentitur magna parte adhortationum, quibus fratri acerrisime vituperata inertia, fraude, litis amore, industriam commendare studet, et descriptione pravorum suae sequentisque aetatis morum, ubi teneram elegantemque animi poetici indolem male requirimus.

De genere dicendi, ad quod jam delabimur, veteres Hesiodo inter medii generis dicendi poetas locum adsignant atque Operum et Dierum auctorem primum hujus generis et quasi exemplar esse judicant, id quod jam Bernh. hist. litt. p. 279 recte admonuit. Nam in permultis partibus hujus carminis humilitatem atque jejunitatem orationis deprehendimus, ardore audaciaque vatis in altum elati et spiritu quasi divino inflammati sublatis, ut lector e terra in altiora non extollatur, sed semper in humo retentus rerum humanarum recordari cogatur. Sed in hac re semper respiciendae sunt res tractatae et consilium poetae, qui non praeclarissima majorum facta enarrare, non auditoris animum delectare, sed hominum opera et res examinare, praecepta edere, lectorem edocere studet. Quo fit, ut oratio in dicione et protestate rei teneatur atque, si paulisper in altam accendit, ea statim retrahatur. Neque sententiis et proverbiis oratio tersa ac nitida convenit, sed brevis et in artum contracta, quo facilius mente retineantur. Atque ut sententia a populo grato animo acciperentur, poetam pristinam formam, quantum fieri posset, servare necesse erat. Quantopere poeta a materia pependerit, cognoscitur iis locis, quibus a praecipiendo rebusque vulgaribus exponendis ad describendum deducitur. Atque ne quis credat criticis, qui has partes omnino ejiciendos esse judicarint, hoc semper considerari oportere monemus, merum praeceptum et illis temporibus antiquissimis et Hesiodo, homini simplici, qualis et fama et carmine ipso appareat, minime respondere. Illud Quinctiliani „raro assurgit Hesiodus“ nemini dubium est, quin imprimis ad Theogoniam spectet, sed laudatissima illa lenitas et dulcedo, quae delectu singulorum vocabulorum eorumque collocatione et conjunctione efficitur, huic operi attribuenda est. De hac re omnes fere antiquitatis judices suo jure idem censerunt, atque id quod huic virtuti repugnet, minoris momenti est. In sententiis enim quibusdam, quos constat fuisse in ore hominum atque in calendario dura et condita remansit oratio, cujus causa in promptu est.

Porro dialectus quum omnium operum Hesiodeorum tum hujus carminis cum Homerica magnam habet similitudinem. Aeolismorum autem, qui dicuntur, a viris doctis diligenter conquisitorum maxima pars in nostro carmine invenitur. Neque omittendos est creber digammatis aeolici usus. Quae jam a Choerobosko ap. Beck. Anecd. p. 1207. proprietas dialecti Aeolici dicitur. Scriptor autem verbis, quibus utitur, non solum hanc proprietatem agnoscit, sed etiam aperte Hesiodum declarat poetam, in cujus carminibus Aeolismi reperiuntur. De qua re conferendi sunt Gerhardius p. 142. 599. et Goettl. in praef. ed. 1. Quare necesse est, ut ei sententiae, quae jam antiquissimis temporibus tradita et usque ad nostra tempora a viris doct. defensa est, accedamus, Operum auctorem non solum opiniones et sensa temporis et patriae suae in carman recepisse, sed etiam orationis dialectique proprietates.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pars altera specialis.

DE THEOGONIA.

§. 9.

Quid poeta hoc carmine sequi instituerit.

De Theogonia quamquam accuratissima subtilissimaque scripta non pauca exstant, tamen quaestio minime finita et absoluta est. Neque cuiquam, qui semel carmen raptim perlegerit, mirum videtur, diversissimas de eo sententias esse. Tantam enim et rerum tractatarum et compositionis et orationis proprietatem habet, ut virorum doct. acumen stimulare debeat et discrepantiam opinionum excuset. Si argumentum animo attento consideramus, statim intelligemus, quo consilio poeta carmen composuerit et quo successu rem suam egerit. Id enim elucet poetam egisse, ut universam fabularum multitudinem, quae de deorum origine, conjugiis procreationibus, affinitatibus, cognationibus a rerum principio usque ad sui temporis rerum divinarum statum quum in diversis Graeciae partibus tum imprimis per Boeotiae fines pervulgatae essent, comprehenderet atque hac ratione formam bene dispositam vel imaginem summae deorum popularibus proponeret. Atque confitendum est, poetam inceptum ad bonum perduxisse exitum, quum origines deorum ita percensuerit, ut non solum eorum habuerit rationem, qui specie vere divina induti sint, sed etiam virium divinarum, quae super terram et sub ea, quae in coelo pontoque diversis diei annique temporibus conspiciantur atque commutationes in mundo effecisse et quotidie efficere, legem ordinemque in vita hominum servare, bona malaque generi humano immittere videantur. Porro miraculorum monstrorumque ingens copia illustrata est, de quibus narratio erat in populo, sive antiquitus alicubi orta longo annorum spatio magis magisque exornata erat, sive a peregrinis nautisque aliunde allata populi superstitione vel poetarum ingenio mirum in modum mutata et aucta erat. Diversissimam autem mythorum naturam deprehendimus. In quorum multis tanta simplicitas ad feritas est, ut remotissimam antiquitatem, qua hominum animi moresque incultissimi erant, odorentur; pars cultioris mitiorisque aetatis memoriam revocat, qua dii hominibus non horribiles et immanes apparebant, sed benevolentia quadam eorum opera intuebantur. Deinde etiam opiniones recentiorum temporum pulchra quadam laetitia atque hilaritate animo conformatae legentur, quibus dii paulisper hominum forma, ingenio, moribus, virtutibus, vitiis induebantur.

§. 10.

Quale et quomodo carmen compositum sit, quaeritur. Poetae ipsius opiniones et sententiae.

Quum quaerimus, quomodo carmen sit compositum, ab eorum parte me stare affirmo, qui ordinem quendam in opere agnoscant neque solam farraginem atque carmen compilatorium videant. Primun enim neminem effugit, deorum generationes in eum ordinem redactas esse, qui optime hominum opinionibus conveniat. Tum cosmogonia recte theogoniae praemissa est, quum origo deorum cum origine omnium rerum arctissime cohaereat. Porro tum demum de nova quadam deorum familia agitur ejusque procreationes enumerantur, postquam ipsius origo satis illustata est. Neque solum hoc cognationis vinculo, quo dii antiquissimi et recentiores inter se conectuntur, ordo et conexus quidam efficitur totius carminis, sed etiam singulae familiarum singularum generationes certo consilio in suis quaeque locis collocatae sunt. Subtilissima de hac re exstat Muelleri observatio (hist. litt. p. 160 sqq.) ubi collocationem procreationem Noctis et Erebi defendit ut aptissimam. Nam res illae divinae ad mala hominum spectantes non prius afferri debebant, quam justus rerum status deletus erat et ira deorum, calamitates malaque inter homines orta erant. Cfr. Schoem. p. 445. Atque eandem ob

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

causam narratio de Japeto ejusque progenie commodissime procreationem deorum Olympicorum sequitur, quia ejus facta ac fata omnino ab illis pendent. Neque vero inconsiderate egit poeta, quum magnam curam posuit in narrando, quomodo Jupiter imperium recuperaverit, quippe quum in hac re conditio deorum, quos tum Graeci venerabantur, collocata sit. Tum in explicanda Theogoniae compositione viri doct. optimo jure monent, imprimis rationem esse habendam propositi poetae, quo universam deorum multitudinem in prospectu ponere studeat.

Fieri enim non potuit, ut passim res diversae conjungerentur atque perfecta compositionis ars neglegeretur. Atque jam hoc loco admoneamus corruptelarum varii generis, quibus factum est, ut non integrum carmen habeamus, sed interpolatum, mutilatum, corruptum sive a librariis sive a Rapsodis. Denique quamquam sententiam illam, carmen esse nihil nisi collocationem variorum carminum atque a poeta res esse prolatas, quas ipse non plane cognovisset, non probamus, tamen minime negemus, partes carminum antiquiorum, hymnorum, titanomachiarum non adeo mutatas ab eo locis aptis operi insertas esse.

Quod ad auctoris cogitationes et opiniones spectat, non facile est, certis finibuss eas circumscribere, quum poetae persona, exceptis indiciis, quae in prooemio exstant, minime appareat. Poetae epici more enim varias fabulas profert, sed quidquid ipse de iis sentit, reticet; deorum filios patres cognatosque opprimentes facit, sed quo jure id fecerint, non addit. Atque quamquam Jovis potestatem semper insigni reverentia celebrat, tamen, pietas illa, quae in Op. et D. est, desideratur. Neque cumulantur quaerelae de hominum dura conditione, quamvis Promethei fabula desiderio temporum feliciorum recordetur, suisque temporis calamitates maereat. Idem vero ingratus in mulieres animus ostenditur mytho Pandorae et carmine probroso in mulieres, sed sponte apparet, huic carminis parti ab interpolatoribus multum esse additum. Neque silentio praetermittamus, saepius verum poetae ingenium et artem desiderari. Quis enim est, quin crudelitate feritateque Croni patrem evirantis liberosque devorantis offendatur?

§. 11.

De genere dicendi.

Carminis oratio neque tantam antiquitatem neque tam manifesta vestigia regionis, ubi orta sit, habet, quam Opera et Dies. Proxime enim eam, verissime judicarunt judices, ad dicendi genus accedere, quo usi sunt recentiores poesis Homericae imitatores. Colorem vero orationis in diversis partibus esse diversissimam jam antiquis erat persuasum. Oratio enim percurrit omnes dicendi gradus a durrissima molestissimaque simplicitate ad pulcherrimam elegantissimamque dulcedinem, a jejunitate orationis pedestris ad summum vatis a Musis inspirati ardorem. Ubertatis autem ardorisque poetici exemplum insigne est certamen Jovis cum Titanibus et Typhoeo, quod quidem opera poetarum et diasceuastarum passim nimis exornatum est. Atque ut conatus Gerhardii in universum non est prabandus, sic ejus opera, qua omnes Aeolismos amoliri omnemque proprietatem diasceuastae aut alteri interpolatori vindicare studet, refutanda est. Opinionis enim praesumptae et ex arbitrio constitutae est, versus, in quibus quum a veteribus grammaticis, tam a judicibus recentioribus Aeolismi reperti sunt, spurios habere denique omnes proprietates, quae notantur in vocabulorum formis, syllabarum mensura, digammate, hiatu, psilosi sine causis gravissimis errores dicere. Quae res graviores sunt, quam ut verbis solis exturbari possint.

§. 12.

Theogoniae auctorem a vate Ascraeo diversum esse, demonstratur.

Questio de origine carminis, a viris doct. mirabili ingenii acumine disputata est. Quam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quaestionem ita partiamur, ut primum examinemus, Theogonia et Opera ex ejusdem poetae ingenio profecta sint, tum sitne Theogonia unum absolutumque opus aut a compluribus consarcinatum atque consutum. Recensus judiciorum virorum doct. de priore quaestionis parte in Theogonia a Welk. edita p. 57. sqq. exstat. Ex quo facile intelligitur, numerum virorum doct., qui Theogoniam Operum auctori adjudicent, in dies minui. In numero eorum, qui opus genuinum judicarunt, imprimis Goettlingius Rankius, Lennepius nominandi sunt. Inter illos autem, qui contra censuerunt viri summae auctoritatis sunt, Thierschius, Schoemannus, Welkerus, Bernhardyus. Rem denique in medio reliquerunt C. O. Muellerus et Ulricius. Sed facio cum iis, qui vatem Ascraeum a Theogoniae auctore diversum esse judicant atque causas, cur ita de hac re cogitem, breviter in medium afferam.

Primum igitur maxime proprium est poetarum Graecorum, imprimis antiquiorum ut singulare poesis genus ad tractandum sumant, reliquis generibus plane omissis. Operum auctor autem est poeta vere didacticus, quum id agat, ut homines doceat docendoque emendet. At Theogoniae auctor ab hoc consilio plane remotus, atque indignissimus est, cui praeceptoris nomen tribuatur. Nimirum dici potest, poetam id sibi proposuisse, ut populares edoceret, quae ipse de deorum condicione sentiret, sed alterum illud emendandi corrigendique studium a carmine plane alienum est. Opinio vero eorum, qui carmen in finem quendam sacerdotalem compositum esse putant, satis, quantum nobis quidem videtur, refutata est a Schoemanno, cui omnino Gerhardius, Welkerus, Bernhardyus assensi sunt. Neque quidquam re vera in carmine inest, quo pietas erga deos inter populares servetur aut deorum cultus doceatur.

Tum vitae condicio auctoris Theogoniae et Operum diversissima est. Vates enim Ascraeus quum ipsius verbis, tum totius carminis indole et argumento agricolam se esse probat atque simplicis strenuique patris familiae naturam semper prae se fert. Tum ex accuratissima omnium rerum ad agricolarum rem domesticam, opera, instrumenta spectantium cognitione concludi potest, poetam propularibus res proponere, quas usu ipse cognoverit. At longe alia est condicio auctoris Theogoniae. Quod carmen uberrimam atque accuratissimam omnium rerum divinarum scientiam atque philosophiam quandam, quae sine diligenti meditatione optimaque institutione comparari nequit, testatur.

Denique magnae dicendi generis differentiae nobis occurrunt. Oratio enim, qua Theogoniae auctor utitur, ab asperitate antiquitatis fere plane abhorret atque rarissima incultioris animi vestigia habet. Mira illa simplicitas autem saepissime in splendorem et copiam dictionis vere epicam mutata est. Postremum formae illae ingentes, naturae humanae modum excedentes, quas in Theogonia saepius deprehendimus, Operum auctori ignotae sunt.

Qua opinione certatur quidem cum totius antiquitatis fide, si quidem quod recte monet Schoemannus silentium criticorum genuitatis testimonium haberi potest. Unus vero Pausanias, judicio Boetorum in Helicone habitantium permotus Theogoniam ab Hesiodo abjudicat; cujus scriptoris judicium in hac re plurimum valet. Verba enim, quibus carminis genuitatem addubitat, tanta sunt perspicuitate, ut nemini dubium esse possit, quin persuasum habuerit, opus ab alio conditum esse. Reliquorum autem antiquitatis scriptorum judicia ita gravia habenda non sunt, quum in fide tradita acquiescerent atque, contenti essent, versus plane ineptos ex operibus veterum scriptorum ejicere, et quum manifestissimis tantum testimoniis rationibusque adducerentur, ut opus aliquod in dubium vocarent.

§. 13.

Examinatur, utrum uni an pluribus auctoribus carmen adscribendum sit.

Quum igitur Theogoniam a sene Ascraeo abjudicandum esse, satis demonstrasse videamur,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quaerendum est, unde originem duxerit. Atque accedimus illis, qui summam carminis ab uno poeta conditum esse affirmant. Welkerus quoque, qui de hac re prudentissime et cautissime agit, in hanc sententiam inclinare videtur, quum calidiore animo Muellerum laudet, carmini consilium bene consideratum subtilemque dispositionem vindicantem et illos viros doct. vituperantem, qui iniquitates transitus, discrepantias lacunasque auctori dant, neque naturam et consilium carminis satis prudenter considerant. Atque majorem carminis partem uni poetae debere, etiam illi viri docti defendunt, qui Theogoniam Hesiodeam proprie ex certo stropharum ternariarum vel quinariarum numero constitisse putant, atque ex sua opinione praejudicata carmen mutando et transjiciendo plane dilaceraverunt. Mirandum est, quod Hermannus, vir summae sagacitatis atque acuminis specie deceptus formam poeseos accepit, quae a natura carminis epici plane aliena est atque tantam carminis amplificationem tamque miram interpolationem postulat, quae ne cogitari quidem queat.

Contraria sententia, qua Theogonia opus compilatorium fit, nostris diebus eruditum invenit defensorem, Schoemannum. Qui sententiam ab Heynio profectam atque a Thierschio, Wolfii studiis excitato, accuratius examinatam probatamque recepit. A qua sententia non tam diversa videtur Bernhardyi, quamvis Schoemanni judicium, „Theogonia non ab uno poeta uno tamquam foetu ingenii edita, sed e variis variorum poetarum carminibus aut carminis partibus ab aliquo compositore concinnata est," minime probat. Nam paulo infra, si recte ejus verba: „eine leibliche Sammlung von Gedanken der Theologen aus dem Gebiete der Kosmogonie und Theogonie," intelligo, idem in medium profert. —

Sed afferamus argumenta, quibus nostra sententia nititur. Quae quaestio quum separari nequeat ab illa de compositione carminis, quae supra de ea monuimus, respicienda sunt. Primum igitur illae carminis partes, quae summae atque argumento, natura orationisque colore maxime propriae a criticis agnitae sunt, ordine et conexu non plane carent, sed potius ita collocatae sunt, ut ingenium poetae bene considerantis, non diligentiam solam compositoris ostendant. Atque si unam harum partium ejiceremus, totius carminis conexum deleremus.

Tum ratio singularum generationum describendarum atque illustrandarum maximam partem unius ejusdam poetae officinam testatur. Dein versuum ratio orationisque genus servat ubique magnam similitudinem, quamvis varium orationis colorem secundum naturam rerum tractatarum reperiamus. Denique carmen tam manifesta vestigia atque indicia antiquitatis ostendit, ut impediamur, quominus ad illa tempora demittamus, quibus opera a Graecis collecta atque ex variis carminibus compilatione nova facta sint. Carmen igitur ab uno poeta proprie profectum variis additamentis pristinum modum longe excessisse fatendum est. Quae carminis amplificatio imprimis ab illis poetis facta esse videtur, qui vatem Ascraeum ratione carmina faciunda secuti sunt. Nam quamvis partes pro spuriis habitae natura et indole a summa carminis diversae sint, tamen similitudo quaedam cognoscitur. Quae partes a Schoemanno, Welkero, Gerhardio recensentur, qui de plerisque rebus consentiunt, de nonnullis aliter cogitant.

§. 14.

Quae partes insertae sint atque quo tempore carmen conditum sit, examinatur.

Carmen duplicis generis additamentis auctum esse videtur, partibus majoribus et singulis versibus. Alterum est poetarum vel mythologorum, qui integritatis causa aliquid ex ingenio supplebant aut partes carminum similium adjiciebant; alterum Rapsodorum propter elegantiam aptis locis locutiones pervulgatas ex memoria inserentium. Maxima autem additamentorum pars ex operis forma et compositione, ex rerum sententiarumque natura, ex orationis habitu secernenda est. Versibus, qui postea inserti sunt, omissis, majora additamenta breviter recenseamus. Primum igitur a viris doct.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in prooemium varie inquisitum est atque statutum, id esse syntagma carminum sive hymnorum in Musas Heliconas et Olympias. Tres hymni majores cognoscuntur, quibus breviores carminum partes assutae sunt. Primus illorum Musas Heliconas celebrat, quae circum Jovis altare saltantes omnes deos et antiquiores et juniores cantu laudant, secundus narrato Musarum natu, celebrat Musas Olympicas; ambo autem Theogoniae quasi argumentum comprehendunt, dum tertius proprium provemium haberi potest. Quod horum canticorum ab ipso Theogoniae auctore profectum sit, dificillimum est, judicatu. In ipsa Theogonia primum adjecta videtur narratio de natu Erinnyum, Gigantum, Nympharum Meliarum Venerisque. Tum posteriore aetate addita sunt etymologia Titanum, altera Noctis progenies, generationes Eridis, quippe quum in his partibus poeta rationem mere theogonicam subito relinquat. Tum jure dubitatum est de procreationibus Nerei et maxima parte Ponti filiorum, qui generant monstra illa terribilia ab heroibus superata. Nam Welkeri sententiae qua omnia haec miracula carminis propria judicat, praeferenda est Bernhardyi, qui multa harum narrationum ex Heracleis posteriore aetate conditis in nostrum carmen illata esse suspicatur. Genealogia quoque Titanum a posterioribus amplificata et aucta est, permultis fluminum diis, fontium atque rivorum nymphis a poeta quodam aliunde additis. —

Difficillima est quaestio de mytho Hecates, quum viri summae auctoritatis Schwenkius, Klausenius, Hermannus exceptis paucis versibus eum genuinum judicent, approbante Welkero, dum alii eum verum hymnum habent, a manu falsatrici carmini insertum. Sed animo attento locum perscrutanti et cum totius Theogoniae ratione comparanti dubium non erit, quin non ab Theogoniae auctore sed ab alio quodam factus sit. Cujus rei argumenta petenda sunt quum ex natura Theogoniae, tum e loci compositione et orationis habitu. Loci natura enim talis est, ut nemo non intelligat, eum hymnum esse. Quum vero nusquam ejusmodi fere generis quidquam reperiamus, quamvis occassiones multo meliores atque graviores datae sint, sed summorum deorum potestas et proprietas uno duobusve vocabulis significetur, mente comprehendere non possum, cur poeta ita a sueta componendi ratione decesserit. Nam Hecates persona minime tantam gravitatem ad totum carmen aut ad rem aliquam illustrandam habere videtur, ut ejus munera tam accurate describantur. Tum compositio hujus partis majoribus, quam ceterae, vitiis, discrepantiis, repetionibusque laborat. Denique oratio manifestissimis vestigiis temporum posteriorum non caret, quum vocabulorum formae inveniantur, quae aut locis exstant omnium judicio pro spuriis habitis, aut non amplius in carmine leguntur.

Sin virorum doct., qui mythum genuinum judicant, sententiam contemplamur, sententia praesumpta eos permotos esse, ut ita censeant, suspicemur. De Schwenkio, cujus commentatio mihi in manus non venit, taceo. Klausenio autem haec quoque carminis pars defendenda et servanda erat, quippe quum corruptelas ad singulos tantum versus revocet, atque Hermanno, cui hic locus optime conveniebat ad studium stropharum conformandarum. Denique quod Gerhardius de hujus partis genuitate cogitarit, ex eo facile intelligitur, quod demonstrare studuit, eam constare ex versibus alternis duorum Rapsodorum; quam opinionem ego quidem probare non possum.

Porro narrationi Japeti procreationum permulta ab aliis poetis adjuncta esse, et via rationeque tractandi et sermone cognoscitur. Dolus enim Promethei, mala Pandorae atque imprimis carmen probrosum in mulieres, falsatricis manus esse, facillime intelliges. Tum Titanomachia et certamen Jovis cum Typhoeo propter antiquitatis indicia maxima ex parte jure genuina habentur, sed ornamentis cujusvis generis aucta sunt. Tartari autem extremarumque mundi partium descriptio, licet loco aptissimo inserta sit, jure viris doctis formam accepisse videtur a pristina longe diversam.

In Jovis conjugiis quoque majore additamenta sunt; inter quae numerandum est Jovis Metisque matrimonium, origo et matrimonium Herculis, mentio Dionysi et Ariadnes, quae maximam partem e carminibus recentioribus poemati Hesiodeo assuta esse, Bernhardyus et Gerhardius rectissime

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

judicant. Denique extrema Theogoniae pars variis interpolationibus corrupta est, quum mythi afferantur, qui tempori multo posteriori attribuendi sint. Mentio enim Latini Tyrsenique tempora prodit, quibus Graecorum scientia geographica admodum aucta erat. Neque argumentis, quae Schoemannus in Theog. ed. p. 286 sqq. pro genuitate hujus partis affert, Bernhardyi sententia refutata est.

Tempus vero, quo hoc opus ortum sit, accurate definiri nequit, sed iis cum Welkero assentior, qui contendunt, id non ita multis annis postquam *Ἔργων* auctor vixit, compositum esse atque circa annum octogesimum ante Chr. nat. Schoemannus in hac re audiendus non est, cujus sententiam Vossius, recentiores historici aliique probant. In quibus est Dunkerus, vir doctissimus, qui in historia antiquitatis III. p. 572. tempus originis Theogoniae e scientia geographica in carmine reperta statuendum esse censuit, notitiis variis diligenter collocatis. Sed natura carminis ad hanc rem judicandam multo gravioris ponderis et momenti esse videtur, quam ejusmodi res, quae quam facile insui potuerint, in professo est. Sed jam satis de hoc opere dictum esse puto.

§. 15.

De carminibus Hesiodi deperditis.

De carmine quod scutum Heraclis inscribitur Hesiodique nomine circumfertur disputationem instituere a proposito consilio alienum est, quippe quum nemo non dubitet, quin hoc carmen compluria saecula post tempora Hesiodea compositum sit. Restat igitur, ut pauca dicantur de carminibus Hesiodeis deperditis. Multa nomina carminum legimus, quae ab Hesiodo facta esse dicuntur, quorum maxima pars sine dubio posteriorum temporum ac poetarum imitationi debetur. Neque quidem sine aliqua causa viri docti affirmant, partem illorum carminum poetis natione Boeotis debere. In his carminibus examinandis primum percensebimus ea, quae ejusdem aut similis ac Opera et Dies argumenti sunt, tum ea, quae ad mythologiam spectant.

Operibus et Diebus adjecta erat *Ὀρνιθομαντεία*, quod carmen propterea recte suspicantur viri docti a poeta aliquo conditum esse, quod Hesiodus duobus ultimis versibus hujus rei mentionem fecerit. In docenda autem arte apud antiquos pervulgata, ex avium volatu, vocibus aliisque rebus ad aves spectantibus vaticinandi versabatur. Carmen jam ab antiquis pro spurio habitum esse, discimus verbis Procelli in Schol. ad *Εργα* v. 824. Argumenti similis fuisse videtur carmen, cui inscriptio erat *Ἐξηγήσεις ἐπί τέρασιν*, quo tradebatur ars vaticinandi ex prodigiis et portentis.

Quae duo carmina ad *Ἔπη μαντικά* pertinuisse cum Markscheffelio accipiam atque judicem, Pausaniam *Ἔπεσι μαντικοῖς* non carmen singulare significasse, sed certum carminum genus. Porro Hesiodo attribuitur *Ἀστρονομία* sive *Ἀστρολογία* sive *Ἀστρικὴ βίβλος*, quod opus a Pausania praetermissum Athenaeus XI. p. 49. suppositicium notat. Scriptorum autem, qui carmen Hesiodo dant, judicium nullius momenti est, quum Tzetzes et Plutarchus audiendi non sint et Plinius carmen tantum memoret.

Denique cum Operibus et Diebus conjunctum erat opus, *Χείρωνος ὑποθῆκαι* inscriptum, quo Chiron centaurus Achillem praeceptis admonitionibusque erudiens fingebatur. Ex loco illo apud Athenaeum VIII. p. 364. concludere licet, carmen imprimis praecepta de hospitibus bene excipiendis continuisse.

Jam venio ad carmina mythologici generis, quibus tertiam mythologiae partem, heroogoniam tractatam fuisse, satis notum est. Breve ejus caput in fine Theogoniae inde a v. 963 exitat, ubi heroes, e coitu dearum cum viris mortalibus orti enumerantur. Quare cum viris doctis faciam, qui duobus versibus extremis Theogoniae transitum paratum esse ad Catalogum et Eoeas affirmant. Sed aggrediamur carmen sine carmina, quibus mulieres celebrabantur, *Κατάλογον* sive *Καταλόγους γυναικῶν*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod opus aliter quoque inscribebatur, et *Ἠοίας Μεγάλας Ἠοίας*. Atque jure inter viros doctos constare mihi videtur, primo duo carmina fuisse, cui alteri nomen *Κατάλογος γυναικῶν* erat, alteri *Ἠοῖαι*. Quae quum argumento ac habitu inter se simillima essent, posteriore aetate in unum corpus conjuncta et, auctore plane ignoto, Hesiodo adscripta sunt. Hujus corporis *Κατάλογος* inscripti librum quartum *Ἠοίας* continuisse e locis a scriptoribus laudatis elucet, qui, locos ex iis affrentes, omnino non accurate inter *Κατάλογον* et *Ἠοίας* distinguunt. Atque Markscheffelius commentationibus ostendere studet, *Καταλόγῳ*, breviter attactis mulieribus, originem heroum ipsorum eorumque filiorum expositam fuisse, *Ἠοίας* autem imprimis in mulieribus eorumque amoribus, rebus domesticis, virtutibus, pulchritudine esse versatas. Hic operibus uberrimam fabularum de origine rebusque heroum diversissimorum temporum copiam comprehensam fuisse, fragmentis et fama, in quo nomen Hesiodi erat, satis docemur. Quae opera non erant artificia, in quibus omnia ac singula ad unam sententiam illustrandam spectabant, sed variae fabulae deinceps narrabantur atque sine vinculo artiore conjungebantur. Quod optime intelligitur ex titulo Eoearum, qui ex locutione illa *ἤ οἵα*, qua singulae fabulae incipiebant, nomen duxit.

Quod spectat ad originem, tota fere antiquitas de eorum genuitate non dubitasse videtur. Quae Aristarchus et Aristophanes contra disputant, levia esse Marksch. recte affirmat. Pausanias catalogum quidem Hesiodi esse dicit, sed Eoeas esse negat. Recentiores vero critici, argumentis ex carminibus ipsis petitis nixi, ostenderunt, poemata post Hesiodi tempora composita esse. Sed plurimum valere mihi videtur dicendi genus, quod manifestissima recentioris aetatis vestigia prae se fert. Ex Pausaniae autem verbis sequi videtur, ut *Κατάλογος* ab Hesiodo profectum, sed ab ejus imitatoribus varie auctum et ornatum sit. Tempus denique, quo *Ἠοῖαι* conditae et *Καταλογος* additamentis auctus sit, accurate circumscribere nequeas, sed non erraveris, si post Olymp XXX. posueris.

His poematis genealogicis argumento proximus fuisse videtur *Αἰγίμιος*, quod carmen spurium habitur et Cercopi cuidam vindicatur. Mythos autem stirpis Doricae memoriamque migrationum complectebatur, habita ratione Aegimii, de cujus Herculisque amicitia permultae fabulae in ore hominum erant. Simillimi argumenti nonnulla carmina minora erant, quae Epyllia recte appelabantur, quibus res quaedam mythologicae memoratu digna paulo accuratius describebantur. Sunt *Κήυκος γάμος*, *Ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν*, *Θησέως εἰς Ἅιδου κατάβασις*, de quorum natura tantum suspicari licet, quum reliquiae eorum raro reperiantur atque veteres scriptores de iis plane taceant.

Denique de Melampodia dicendum est, quam cui generi adnumerent, viri docti dubitant. Sed facio cum Schoemanno et Markscheffelio, qui contra Ulricium et Goettlingium mythologici generis esse ostendere contendunt. Carmen enim, vericimillimum est, versatum esse imprimis in vita rebusque Melampodi aliorumque vatum narrandis, additis passim praeceptis ad artem vaticinandi, ad lustrationes atque res mysticas varii generis spectantibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf